

bet, quibus nascentium indolem instruat atque ornet, eas omnes in NOSTRVM contulit ac cumulauit: quapropter simulac ingenii vis apparuit, creditus est Golsenæ fidei CASPARIS DOLCII, cui amœnam & suauem & doctrinæ capacem indolem ita probauit, vt anno MDCLVI. d. XXIX. april. de patris sententia ad illustrem prouincialem scholam Portensem admissus, vbi magnam laudis materiam reperit, & ad ingredienda artium liberalium studia nactus duces IO. KVHNIVM, IVSTVM GVTBIER, IO. BARTHOLOMAEI, IO. GEORGIVM LAVRENTII, GALHOFIVM ET IO. HENRICVM WILHELMI, pro diuinæ mentis ardore tanta cepit incrementa, vt ætatem superante ingenii cursu de *laudibus Ciceronis* itemque *Horatii Flacci* declamaret recitaretque carmen genere alcaico conscriptum, etiam alios certandi labore gloriaque vinceret felicissime. sic rite posuit fundamenta eaque firmiora, quum elegantioris doctrinæ litteris, quæ gratiam addunt seuerioribus disciplinis, quæ iuuentutem alunt, senectutem oblectant, per gentes ac nationes proferunt famam, impleret pectus, nec ad grauiora adgressus illarum curam ex animo abiiceret. hinc ann. MDCLXII. d. XVIII. april. lenam profectus & operam dedit sapientiæ, contemplationi in primis naturæ & matheseos studiis, in quo laudis cursu præter ceteros coluit & sectatus est IO. PRAETORIVM, ordini philosophorum adscriptum, CASPAREM POSNERVM & ERHARDVM WEIGELIVM, professores excellentissimos, quæ adiumenta quum collegisset sibi cumulate, arti medicæ penitus sese tradidit institutioni GOTHOFREDI MOEBII, IO. THEODORI SCHENCKII, IO. ARNOLDI FRIDERICI, GVERNERI ROLFINCII medicorum meritis ac fama insignium addictus; ac prout ad magna illustriæque erat natus, sic acerrima ipsius mentis acies non permisit, vt quieti se traderet atque industriam remitteret, omnemque adeo mollitiem & luxuriam magno studio ac summa contentione auersatus. proinde varia ad disputandum argumenta proposuit & præsidio laudati ROLFINCII, qui ipsum singulari complexus est amore deque eo dicere solitus: *tu potius eges freno, quam stimulis* firmatus ter disputauit magno gratulantium applausu. exactis heic quinque annis anno MDCLXVII. concessit Landsbergam & medicinam facere instituit; reuersus autem perlustrata Silesiæ parte & Witebergam Lipsiamque itinere facto lenam ann. MDCLXVII. sum,